



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Lamberti Martyris, Episcopi Tvngrensis: Leodiensis Ciuitatis, & Ditionis Divi Tvtelaris

Roberti, Johannes

Leodii, 1633

Capvt XXVI. Locus cædis S. Lamberti, prodigij nobilitatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44084

CAPVT XXVL

Locus cædis S. LAMBERTI,
prodigijs nobilitatur.

REGREDIAMVR iam Traiecto
Legiam, & videamus, an locus
Martyrij Sancti nostri in glorius mā-
serit. Planè non mansit. Pauca de
eius gloriâ, paucis, attingamus.

In conclau, in quo obtruncatus *Diuinū*
est, lumina sæpe diuinitus accensa *lumen in*
conspiciebantur, eâ claritate, vt gra- *Cōclau,*
tiores viderentur ire dies, & soles *in quo*
melius nitere, neque facile humani *casus*
oculi acies irretorta, eam ferret. An *LAMB.*
aberrabit, qui dixerit, radiū aliquem
fuisse illius lucis, quâ Sanctus Ponti-
fex in cælis perenniter circumfus-
ditur?

Quid igitur miremur, si hoc lu- *Ceci an*
men etiam à Cæcis aspiciebatur? sa- *spellu*
nè duo cæci, Baldigifilus, & Ragin- *donatiz*
fridus, ille excubare eo, quo Martyr
occubuerat, loco: hic, eundem lo-

L 5 cum

cum expurgare iussus optatâ protinus luce potiti sunt.

*Itemq;
caca.*

Aliquanto post, virgo quædam, Oda nomine, è proximâ viciniâ, ab ipso sui ortus tempore, nunquam solis lumine perfruita, LAMBERTI patrociniûm, pio precum ambitu præfans ipsa quoque voti compos facta, stupentibus oculis vidit.

Subinde res in speciem parua, magnam à Sancto ultionem extorsit. Theoduinus quidâ erat, cuius vxor, S. Martyris pectinem, à grassantibus homicidis fortuitò relictum, & neglectum iacentem, vel auiditate muliebri, vel forsitan pietate inconfultâ, sibi abstulerat. Monet Martyr nocturno visu Theduinum, primû blâdè; tum adiectis minis, ablatû pectinem restitui curaret, Fœmina viri somnium pro vano habens, nec reddebat, & sacro pectine, prophana, ut antè, utebatur. Non tulit impudentiam LAMBERTVS Vindex. Soporato iterû Theoduiuo, velut è nauî egrediens

diens, quâ Traiectum auectus fuerat, apparet, & baculo, quem manu præferebat; eius pectus validè percutiès, insanabili vulnere afficit: è quo non antè defijt sanguine mixtū pus manare, quàm, quod repetebatur, tandem restitueret.

*Mulier-
cula
propha-
nam te-
merita-
tē Mar-
tyr ul-
ciscitur.*

Hæc aliaque cōplura eius generis effecere, vt locus ille, tanti Martyris sacro cruore aspersus, ab vndis cōcurrentium populorū, infatigabili studio viseretur, colereturque. Crescēte deinceps Religione, sacrâ Ædem ibidem moliti sunt, splendidam illam quidem, & amplam: sed quæ cōcurrentibus capiēdis nequaquā sufficeret. Tanta multitudo erat. Porro in eam Ædem, tū alia intulerūt S. Martyris monumētum eius lectulum, quo potuerūt ornatu honestatum, Quibus rebus efficiebatur, vt tamquā præsentem ibi eum colerent quotquot pietatis causâ, illam Ædem, & quæ diximus monumenta frequen-
tabant: prodigijs, & miraculis in dies augmentum capientibus.

*Populo-
rū con-
cursus:*

*Excita-
ta Ædes,*

*Lectulum
in hono-
re.*